

1789.

- \* 1. Ackermannius : Adnotatio XIII. p. 1. ex adversariis iuris iudicarii. Programma, quo ordinarius senior ceterique assessores fac. iur. memoriam Ackermannianam indicant.
- \* 2. Bushchoff : Adnotatio XIII p. 4. ex adversariis iuris iudicarii. Programma, quo decanus senior ceterique assessores qualiter facultatem memoriam Bushchoffianam indicant.
- \* 3. Bornius : Adnotatio XIII p. 3. ex adversariis iuris iudicarii. Programma, quo ordinarius senior ceterique assessores fac. iur. memoriam Bornianam indicant.
- \* 4. Erixiel, Georgius, S.R.T. Comitis de : Impugnatio studii parlans himinde in foro male recepti. Programma, quo ordinarius senior ceterique doctores fac. iur. saltem doctoralia Georgii S.R.T. Comitis de Erixiel indicant.

1789.\*

3. Anandtius, Iwanus Gorpest: (De Disputatione  
super causis illustribus a privato auctore caute  
instituenda). Programma, quo ordinarius senior  
et ceteri doctores fac. iur. solennis Doctoralia  
Iwanus Gorpest Anandtii in dicunt.

6. \* Libyntinius: Adversatio XIII p. 2 ex adversariis  
juri's judicarii. Programma, quo triam facultatem  
Iecai seniorum et reliqui assessores memoriam  
Libyntiniensem indicant.

7. Uffell, Hermannus Corvinus ab: Corallarium iuris  
Criminalis XXV. Programma, quo ordinariis  
seniorum ceterique assessores fac. iur. solennis  
inauguratione Hermanni Corvlo ab Uffell indi-  
cunt.

8. Pfeßmannus, Ius. L. d. Dr. iur. spec. iur. pro cancellaria:  
Miscellaneorum Et iuris pertinentium Specimen VII.  
Programma, quo solennis Doctoralia Martini Ernesti  
Weissii et Iwanus Gorpesti Muelleri indicit.

1789.

9. Baumgarten-Crusius, Gottlob Augustus: De lege  
moralis Mosesca.

10. Brincker, Christian Gottlieb: Historia of jura sap.  
frugii Electoralis Saxonici et Marchi marchallatus  
Iuri Romani imperii

11. Curbes, Charles Théodore: De finibus excepitionis  
leges Anastasianae cuncte regundis

12. Green, Augustus. Lysimachus, pacis process.  
collatum: Amathenus heros factum de fundi im  
pugnare post? Programma, quo saluenda Roma  
relicta Coruli sagasti Tathleri indicat.

13. Hanboldt, Christian Gottlieb: De constitutionis  
principiis iuriis Romanis politici

14. Hoddler, Christian Hinrich: De publicatione  
bonorum ob desertionem a militia.


15. Lüderbach, James Otto: De recursu a supremis  
imperii Romano-Germanicis tribunalsibus at conser-  
via genuis fundamen.

1789.

16. Mueller, Johann Gottlieb: De jure primariarum  
precum ejusque exercitio. Spec. 2.

17. Mueller, Johann Gottlieb: De jure primariarum  
precum ejusque exercitio. Spec. 1.





1789,7.

ORDINARIUS  
SENIOR CETERIQVE ASSESSORES  
FACVLTATIS IVRIDICAE  
LIPSIENSIS

LAVDABILITER SVPERATVM EXAMEN

VIRI GENEROSISSIMI

HERRMANNI CAROLI AB VFFELL

PUBLICE TESTANTVR

---

INEST  
COROLLARIVM IVRIS CRIMINALIS  
VICESIMVM QVINTVM.

OLBINTIA  
SUNOR CERTAVERA VSEZBORG  
SANTATIZ VASDICE  
TITIS 1723  
VAN GELDENHORN M. DE WIT  
KETI ORNITHOLOGIUM  
HISTORIÆ CAVILLÆ VENETI  
LITERATURÆ  
TITIS  
COLLECTORIAE VARII CRIMINARIÆ  
ACCOLVIMA VENETI

---

# COROLLARIVM IVRIS CRIMINALIS

VICESIMVM QVINTVM

*De violata domus dominicae securitate.*

---

Hoc delictum, quod barbaro vocabulo *violatae burg-fridae vel pacis burgensis* appellari solet, quo nomine et nos aliquando vti necessitate prememur, quotquot interpres attigerunt, fere omnes, eius originem nomine seducti, ab illis Germaniae turbulentis temporibus deducunt, quibus spretis legibus bella ciuilia regnabant, et quibus quo quisque manu fortior conspiciebatur, eo potiore iure frui poterat, quibus nulla salus, nisi in priuatorum armis, et vnicuique liberum erat, alterum laedere, invadere, oppugnare, atque ex antiqua fede depellere, prout luberet; verbo, vbi propter quotidianas diffidationes nullum tutamen reperiebatur, nisi in propria ac sacerdorum defensione. Ista igitur aetate dicunt, qui arces inhabitabant et castella, vel vasallis imponebant, vel cum sociis foedus inibant, ea communi auxilio contra quos-

A 2

cunque

SPURIA

cunque violatores defendendi, atque habitationis securitatem sibi comparandi. Hinc in eam rem natae conventiones, quarum quaelibet *ein Burgfriede*, atque accedente mutua successione vel communione, pactum ganerbinatus vocabatur, BEYER *delin.* Iur. Germ. L. I. c. 21. EISENHARDT *Institut.* Iur. Germ. L. II. t. 15. CRAMER *de ganerbin.* §. 2. apud ESTOREM in d. Kl. Schr. St. 7. KNIPSCHILD *de fideicom.* c. 5. §. 32. MODEST. PISTOR P. I. conf. 21. IOH. HERING *in mantissa ad tract. de molentinis,* c. 1. no. 721. seq. SELCHOW elem. I. Germ. L. IV. c. 2. sect. 1. §. 627. HERTIVS *de super. territ.* §. 66. BESOLDVS *Theſ. pract. voce Burgfriede,* WEHNER *obſerv. pract. ead. voce,* it. voc. Ganerben. Appendebantur etiam interdum certa signa, quibus his vel illis locis peculiare tutamen vindicari significaretur, APPOLD *dif. de ſigno pacis,* cap. 1. §. 5. Sic itaque securitate imprimis burgorum vel castellorum per solam formidinem constituta atque declaratione palam facta, neminem, qui burgum violare tentaret, id impune facturum esse, nescimus, quomodo factum sit, vt ipsa securitas sic castello acquisita, *der Burgfriede,* BOEHMER *ad Carpz. pr. crim.* L. I. qu. 40. obſ. IV. huius vero violatio *der burgfriedensbruch* appellaretur, et si tunc omnis suscepta defensio non tam securitatem intra castrorum moenia, quam pro pugnationem aduersus externos hostes consilio haberet. Haec quomodocunque sint, tamen mansit istud nomen  
vsque

v

vsque ad nostra tempora vsu fori praeter rationem, accommodatum criminis diuersae planae naturae saltem rioris significatus, nempe eius, quo Principum honor et quies atque adeo securitas non in burgis solum, sed vbi cunque degunt, turbatur. Qua propter profecto errant, qui primos huius delicti natales, prout hodie describitur, in illo demum diffidationum tempora collocant, id quod inter alios BEYERVS *Delin. I. Germ. L. I. c. 21.* facit, quique, nisi haec olim tempora adfuisserent nec securitatis tunc pecularis procurandae necessitatem effecissent, hodie eius delicti nomen ex facinorum catalogo abs futurum sibi persuadent, cum tamē si soleat istae diffidationes hoc crimen persistent, sua sponte fluere, hoc ipsum stabilita pace publica euaniturum fuisse, eiusquē reos nunc non violatae pacis burgen sis, sed fractae pacis publicae poenam luituros esse. Potius utrumque crimen et re et origine a se inuicem admodum diuersum est, ita ut quod primo loco nominauimus, multo antiquius sit, atque ex diffidationum temporibus nihil receperit, quam solum nomen assumptum a pactis, quae pro illorum temporum conditione ad idem delictum compescendum necessaria videbantur.

De hoc igitur quaedam dicere, forte non inutile videbitur. Est igitur, quod hodie *violatae burgfridae* delictum vocatur, eiusmodi, quando quis alterum quocunq; modo la-

*dit in loco, ubi Princeps habitat. Forma ac substantia huius  
criminis in eoversatur, quod illa laesio simul in contemtum  
Principis fieri, eoque auctoritas ipsius violari creditur.*  
**BESOLDVS l. c.** Sine dubio enim is grauiter in principem  
peccat, atque in reuerentiam et submissionem ipsi debi-  
tam impingit, qui non veretur, quasi in eius conspectu  
alterum male habere. Deinde ipsa summi principis quies et  
securitas in periculum venit. Quomodo enim is princeps  
non de propria securitate timeat, qui videt, vel praesen-  
tiā suam ac reuerentiam facinorosos ab aliorum laesione  
haud deterrere, nec domum ipsius infontibus asylū  
praebere posse. Ex quo patet, in delicto violatae domus do-  
minicae semper duo concurrere delicta, vnum aduersus ter-  
tium aliquem commissum, quod qualicunque laesione  
fieri potest vel percutiendo vel vulnerando vel captiuum  
ducendo, (nam nec hoc postremum absque Principis per-  
missu licet, ESTOR teutsch. Rechtsgel. P. III. p. 644. in fine)  
vel minas inferendo, vel iniuriis verbalibus afficiendo;  
alterum aduersus Principem, quod continetur contemtu  
summae in republica potestatis atque tacita quadam decla-  
ratione: se reuerentiam ei debitam susque deque habere,  
sibique in ipsis adeo Principis aedibus omnia licere. Te-  
nendum etiam, hoc crimen non aduersus quemicunque  
superiorem committi, v.g. in aedibus domini iurisdictionis,  
aut Landaffii cuiusdam, verum solo fundamento sanctita-  
tis

tis personae publicae nititur, quae in tota prouincia omni modo ac sine restrictione superior conspicitur, i. e. qui superioritate territoriali gaudet, et maiestatem habet. Eodem modo BOCHIVS *de pace burg.* §. 11. sentit, additque, nonnisi Statibus Imperii facultatem, ista loca sanctificandi competere et quidem ex iure maiestatis, quod superioritatis territorialis nomine indigitetur.

Hoc ipsum igitur delictum distinguendum est *primo*, ut iam supra fecimus, a criminis fractae pacis publicae, quod vim maiorem, cui resisti nequit, in primis armatam requirit, CARPZ. *pr. crim. L. I. qu. 40. no. 2. sq.* quae rarius in violata burgfrida conspicitur, *secundo* a crimine laesae maiestatis, et sic etiam ab iniuriis Principis personae illatis. Quamuis enim plerunque altera illius delicti species a perduellionis crimen distinguita, etiam ad contemnum usque extendi soleat, I. S. F. DE BOEHMER *ELEM. IPR. CRIM. SECT. II. c. 5. §. 72.* cum contra alii solummodo in iniuria remaneant, tamen hoc singularem principis contemti speciem continet, et proprium noinen habet, unde merito utrumque separamus, in primis cum nostri principes ab eorum pessimorum imperatorum et tempore et moribus absint, quibus delatores huius criminis solum ex multuario contemti principis praetextu laesae maiestatis delictum, omni modo illis applaudentibus, amplificare stuperdenter. Differt vero etiam *tertio* ab iniuriis atrocibus erga

priua-

priuatos ex locorum conditione auctis, quoniam hic  
de solis principum domiciliis non de aliis locis  
quibus quaedam sanctitas tribui solet, v. g. de asylis,  
curiis, theatris, reliquis agitur, quibus nulla maiestas  
ineft, quaeque antiquitus praeſertim ex eo aestimabantur,  
num in maiore minoreue conspectu hominum  
effent, l. 7. §. 8. D. de iniur. et fam. lib. Vnde utrumque  
delictum sine dubio confudit, et vocabulo *Burgfriede* sensu  
quam maxime improppio usus aut potius abusus est.  
Statutorum Lubecensium compilator, quando L. IV. t. 15,  
art. 2. dicit: *Verbricht einer vor den rathe oder dem gerichte mit  
worten oder werken, desgleichen in der kirchen und kirchhöfen, auf  
dem rathhouse, gerichtsbuden, in der markzeit, weinkeller, markt,  
fleischstrangen, wagen, auf dem stade bey der trauen, der soll  
nach gelegenheit der verbrechung mit mehrer strafe, dann sonst ge-  
bräuchlich, belegt werden. Denn diese oerter haben burgfrieden.*  
Ex eo, quod supra animaduertimus, nemo sibi persuadere poterit, hoc paulo honoratius nomen ad singula ista  
loca proprio sensu applicari posse, potius nullus huius  
statuti alius sensus esse potest, quam iniurias certis in lo-  
cis factas, aliquando seuerius castigari, quae iam iuris  
Romani doctrina erat quoad fora, theatra ac tribunal  
Praetoris, §. 9. I. de iniur. l. 9. §. 8. eod. Quarto hoc de-  
lictum facile erit distinguere a crimine fractae pacis do-  
mesticae, quod fit violatione domus priuatae a priuato  
facta

facta nulla intercedente persona publica, nedum Principe. *Quinto* differt a violatione residentiae, ita ut species a genero. Nam etsi in omni criminis fractae burgfridae, quae fit in residentia, et haec violetur, tamen haec etiam saepe fit absque illa, ut fenestras percutiendo, muros transfilendo, v. STRYCK l. c. §. 28. seq. atque adeo, ut infra ostendimus, burgfrida interdum etiam extra residentiam, nec in omnibus residentiis, v. g. eorum, qui superioritate territoriali destituti sunt, perpetratur; denique discernendum ab iniuria erga principem, quae in ipsam principis personam committitur, et cum criminis laesae maiestatis fere coincidit.

Delictum igitur, de quo dicimus, peculiare est ac per se consistens, et quemadmodum non ad sola Principum castella et burga, verum ad omnes eorum habitationes pertinet, ut infra videbimus, ita etiam e contrario ad alia loca haud applicandum venit, quibus quidem nec minus adhaeret aliqua sanctitas, ut moenia, coemeteria et sic porro, at non eiusmodi, quae a maiestate principis descendat, cum qua ista, a sola iuris vel civilis vel canonici fictione profecta, cum vera principis comparari nequit.

Vt igitur vela contrahamus, nobis sic videtur; abitationibus Principum, qui superioritate territoriali gaudent, hoc annexum esse priuilegium, ut si quis in iis al-

B

terum

terum laedat, simul ipsum Principem laedere videatur, atque exinde peculiare nasci delictum, quod singulari quoque nomine ac poena dignum sit. De hoc crimine nulla quidem facile inuenitur propria cuiusdam legis sanctio, nec per superiora ortum traxit ex diffidationibus medii aevi germaniae, neque ex iniuriatum per loca aggrevandarum doctrina deriuandum, verum ex sola Principum ipsorum maiestate, ac sanctitate communi Germaniae vsu, naturam ac originem dicit. Nobiscum consentit NIC. MYLERVS AB EHRENBACH de princip. et flat. imp. P. II. c. 52. §. 5. vbi dicit: *Hoc securitatis priuilegio gaudent palatia Principum et Statuum Imperii sua natura ac per se.* Vbi enim princeps degit, ibi securitas existit, modo princeps ibidem residet, ac curiam celebret vel teneat, nec non APPOLDVS de signo pacis c. 3. §. 4. *Hoc, inquiens, inuiolabilitatis priuilegio gaudent patetia Principum et Statuum Imperii, sua natura ac per se sive quid pro signo pacis adscriptum fuerit, sive non;* item STRYCKIVS d. I. §. 27. *Inest sua natura omnibus Principum ac Statuum Imperii residentiis haec securitas,* cf. FRITSCH l. c. §. 4. quod etiam confirmat KNIPSCHILD de ciuit. Imp. L. II. c. 28. iott. qui, *Vbi Princeps, ait, ibi securitas existit.* Pari modo I. F. S. DE BOEHMER ad Carpz. pr. crim. P. I. qu. 40. obs. 4. dicit: *Sanctitas palatiorum non aliunde arcessenda, quam a sanctitate et reuerentia ipsorum principum.* Notandum enim, non ipsam solum Principis personam sanctitate pollere, et in viola-

bilem esse, sed maiestas Principis amplior etiam est, et eiusdem sanctitatis facit participia omnia, quae eum circumstant, atque ad eum pertinent; ita, ut Principis sanctitas quasi communicetur cum omnibus, quae principis sunt.

Sic sancti putantur atque inuiolabiles ministri ac consiliarii principum, in primis quando sunt ab horum latere, l. 5. pr. C. ad L. Iul. maiest. l. 8. C. de dignitat. HIERONYM. GIGAS de crim. laesae maiest. qu. 14. l. SAM. STRYCK diff. de sanctit. resident. c. 2. n. 26. sq. HENR. BOCKER de crim. laef. maiest. c. 2. no. 14. ac minime violandi, siue laedantur intuitu principis siue tanquam priuati, CARPZ. pr. crim. p. 1. qu. 41. n. 57. Sic olim ipsis Imperatorum vestibus atque ornamentiis aliqua sanctitas inesse credebatur, vnde LEO l. vn. C. nulli licere in frenis dicit: *summa severitate sancimus, ut, quod in cultu ornatissime nostro sacrum et adoptabile, id facere temeritas priuata non audeat, add. STRYCK. l. c. §. 86 64.*

Ex hac Principis sanctitate cum rebus ad eum pertinentibus communicanda praeprimis magno studio atque argumentis sat probabilibus laudatus STRYCKIVS l. c. §. 89. sq. sanctitatem saltim residentiarum principis ostendit; quibus adhuc addi posset, ipsos Imperatores aedes vel palatia sua pro sanctis et commercio publico exentiis habuisse, ut patet ex lege vnica C. de palatiis et domibus dominicis vbi Comiti rerum priuatarum sic rescribunt: *Consecratis nobis aedes, id est, inclita palatia ab omni priuatorum usu et com-*

*muni habitattone excipimus; quam legem integro commentario illustrauit AHASVERVS ERITSCHIVS, nec non ex lege 17. C. de operib. publ. qua haec conspiciuntur: In palatio tantum locum habeant habitandi, quos legitimus maiestatis nostrae usus et reipublicae disciplina delegit, vnde etiam sacra et sacratissima vocabant, l. 14. C. de off. reg. prou.* Hanc igitur aedium dominicarum sanctitatem ab ipsorum Principum sanctitate deriuata pro primo fundamento tenendae pacis burgensis agnoscimus, quamuis non pro solo nec pro sufficiente. Paulo fragilius videtur esse alterum, a laudato AHASVERO FRITSCHIO super notissima illa Constitutione Friderici 2. Feud. 56. aedificatum, qua palatia inter regalia connumerantur. Quod enim Imperator palatia in ciuitatibus consuetis, (pro quo sorte reponendum consueta, quia Imperatores consueuerant, in ciuitatibus prouinciarum palatia habere, l. 14. C. de off. reg. prou.) inter regalia numerat, id nihil aliud significare videtur, quam confirmationem et ampliationem dictae consuetudinis atque ius, in vna qualibet ciuitate pulatiam, et vt hodie vocatur, residentiam vel separatum a reliquis domicilium habere, non autem, quae est sententia MONTANI de regalib. p. 188. et HORNII Ipr. feud. in add. p. 52. potestatem castella extruendi, multo minus, ea sancta et inviolabilia reddendi, nec etiam, quae est opinio STRYCKII l. c. cap. 8. facultatem, praetoria vel curias habendi.

At

At non opus habemus, eiusmodi causis incertis ac labantibus ad fontem et originem securitatis, de qua dicimus inueniendam vti. Ipsa maiestas vt iam tetrigimus yniuscuiusque Principis, superioritate territoriali gaudentis, sufficit, quo iure qui praeditus appetet, ei etiam priuilegium competere videtur postulandi, vt quae ipsi inest et adhaeret, maiestas omnimodo colatur atque adeo non solum ipsum suam quoad personam, sed etiam omnia quae eos circumdant, et nominatim domus eius inuiolabilis sit. Hic est, vt nobis videtur vnicus et purissimus fons, ex quo communi Germaniae vsu recepta doctrina fluxit, illum delinquare, cui non is inuiolabilis videatur, qui se sub Principis tutamen in primis domesticum recipit.

Haec est vna ex tribus illis partibus, quibus summant maiestatem ac superioritatem territorialem constare, v. cl. IAC. FR. DOEHLER in libello von den majestätsrechten, 1. Hauptft. §. 12. his verbis dicit: die oberste gewalt oder majestät ist heilig und unverletzlich, solcher gestalt, daß unter der allerschwersten strafe keinen einzigen unterthanen erlaubt ist, solche zu beleidigen. Haec autem prohibita maiestatis violatio, vt iam supra vidimus non ad ipsam principis personam restricta est, sed latius vagatur, ac omnis generis violationem, quid? quod etiam defectum debiti cultus ac venerationis continet, quae erga Principem semper in contemptum abit.

Quid igitur aequius ac iustius, quam quod sub hac sanctimonia etiam secura et ab omni turbatione vacua Principis habitatio, quae priuatis quoque aedium possessoribus competit, *l. 18. D. de in ius voc.* comprehendenda putatur, utque praeterea ii, qui cum *τῷ κύρῳ* in republica habente, vna in domo versantur, eius auctoritatis ac securitatis participes fiant.

His ita constitutis, aliquot quaestionibus circa hoc crimen, absque ordine sparsis respondere conabimur, nec non de poena criminis quaedam addamus.

Et primo quidem de eo quaeritur, num ius de quo dicimus solis tantummodo Principis palatio, et perpetuo destinata habitationi, quam residentiam dicunt, an vero omni loco, vbiunque degat, sit tribuendum? De solo burgo intelligit BOCHIVS *de pace burgorum* §. 7. quod ex ipsa definitione apparet, qua ipsi hoc ius dicitur esse eiusmodi, quo securitas seu immunitas ab omni hominum iniuria a scelere, publicae tranquillitatis ergo, competit iis, qui in burgis seu palatiis Principum existant, sub poenae sanctio-  
ne; STRYCKIVS autem *l. c. cap. 3. §. 27. sq.* omnes residen-  
tias comprehendit, quarum plures sunt, quam burga, cui addendum, siue Princeps praesens sit, siue absens, modo comitatum reliquerit, qui eius quasi personam repreesen-  
tat, atque animum de redeundo nondum depositum. Nam idem manet contemptus absentis principis, manet violatio  
auto-

auctoritatis et sanctitatis eius, ergo manet idem crimen. Vnde sequitur, si Princeps ex residentia peregrinetur, aut aestatis tempore alius loci amoenitate vtatur, suo tempore redditurus, interea laesionem alteri ab altero factam in palatio, crimen violatae domus dominicae esse; quia, ut Franco-Galli dicunt, *le roi est touours à la cour*. Aliud tamen nobis videtur quoad locum, quem princeps reliquit, ne comitatu quidem relicto, nam in ea specie iste locus fuit quidem olim sed nunc non amplius est residentia, vel habitatio principis.

Inde triplex quaestio decidi poterit, *altera*, quid iudicandum sit de burgis aut residentiis, quas hinc inde in terra sua habet princeps, forte olim a parentibus vel prioribus territorii dominis possessas, nunc autem, sede aliquo translatas, vacuas, *altera*, quid videatur de iis domibus, in quibus princeps interdum amoenitatis sanitatisque nec non venationis exercendae causa commorari solet, *lust- und jagdschlüsser*, *lust- oder jagdhäuser*, *denique*, quid dicendum de eo, quando principes in priuatum domibus habitant? quod fieri potest aut tempore nundinarum, aut imperegrinatione, aut forte in bello.

Quoad *primam* quaestione videtur negando respondendum siue burgum adhuc priorem qualitatem retineat, servatum fortassis ad similem aliquando residentiae usum, siue ad usum priuatos et fisci commoda conuersum; nam utrinque vel omnino vel interim desit esse residentia.

*Quod*

*simpliciter*

Quod autem ad alteram quaestionem attinet, dubium esse non putamus, principem domus proprias sibi, et in singulis urbibus residentiam habere posse, quarum alteram cum altera vicissim mutet, ac una post aliam, mox longiore mox breuiore tempore vtatur, unde FRITSCH l.c. cap. 2. n. 5. palatia principum per aedes vel perpetuae vel temporariae habitationis causa comparatas describit. Hinc igitur consequitur, singulis ipsis locis nostrum priuilegium non esse denegandum, consentiente eodem FRITSCHIO d. l.c. 2. 2. no. 127. sq. nec non TRID. CAR. DE MOSER im teutsch. Hofrechte, L. XII. c. 1. §. 2.

Denique quoad tertiam quaestionem iterum distinguendum putamus cum BOCHIO l.c. §. 20. inter praesentiam atque absentiam Principis. Scilicet cum eum maiestas, eoque ipso laudatum ius semper comitetur, eique, ut allegatus APPOLDVS de signo patris c. 3. §. 2. (quae dissertatione cum BOCHIANA inter Esteris kleinen Schriften reperitur), dicit: *summa securitas, ubiunque degat, debetar eiusque præsentia omnibus in locis sacrosancta et inviolabilis habeatur*, cum igitur dicta maiestas eius personae et loco ubiunque versatur, cohaeret, facile colligitur, eo praesente nullam nec in domo priuata cuiuscunque hominis laesionem absque crimine, de quo agimus, ullo modo fieri posse. Postquam vero finitis nundinis, vel ex alia causa domum privatam, in qua temporaneum domicilium collocauerit, reliquit,

liquit, cum eo ipso etiam abest ius burgfridae, licet forsitan aedes ita conducterit, ut quocunque alio tempore redeunti denuo pateant, nec interea aliquis iis vtatur,  
STRYCK d. l. no. 136.

Hæc omnia, quæ diximus, solummodo locum habent in ipso Principe, qui est Status Imperii, regente, non autem in eorum viduis, liberis atque agnatis. Nam eti*is* iis sanctitas ab ipso principe cum illis communicata denegari nequeat, tamen, cum ipsis τῷ νύγιον in republica ac superioritas territorialis desit, non videtur in eorum residenc*iis* aliquod fractae burgfridae crimen existere, quamvis poenam ibi alios iniuriantium pro modo causae aliquantum exacerbari posse, nulla super sit dubitatio. Idem dicendum, si Princeps, eti*s* superioritate territoriali per se praeditus, in aliena prouincia domicilium habeat. Ibi enim, nec quando vius ex alieni principis subditis alterum laedat, nec, si eius ipsius subditus faciat, pro fractae burgfridae delicto reputandum erit; quamvis posteriori casu poenam laudentis acuendam esse, STRYCKIVS l. c. no. 35. sq. existimet. Quae tamen non applicanda sunt ad legatos, quorum priuilegia aliunde deducenda.

Sunt, qui hoc nostrum priuilegium etiam vltra burgum extendunt per confinia eius, quod in primis facit CHASSANAEVS in catal. glor. mund. P. V. conf. 24. no. 125. et NOVARIVS ad Ricci decif. curiae Neapol. decif. 250. quos

C

secu-

secutus est i. HERING de iure burgorum no. 725. nec non APOLLODVS d. l. cap. 4. §. 7. Huic sententiae occasionem forte dedit hoc, quod periculis mediae aetatis temporibus possessores burgorum certa circumiacentia spatia, ad aedificandas in iis aedes, eo consilio vasallis sub titulo *Burg-lehn* STRVV. S. I. F. c. 4. §. 16. in feudum dabant, ut ipsa castella defendenter, MOSERVUS l. c. §. 1. unde quoad ipsam defensionem cum castellis quasi nexae ac uno tutamine comprehensae videbantur; id, quod de quibusdam dominibus, Dresdae residentiae Electorali adiacentibus idem MOSERVUS l. c. ex WECKIO narrat. At vero, cum non solum supra viderimus, fundamentum burgfridae non esse in illis bellicosis temporibus quaerendum, sed etiam possessores eorum immobilium hodie sint priuati, isto, de quo agimus, iure eminenti desituti, nos forte non peccabimus si burgfridam ipsis domicili dominici muribus ac porta includi credamus, consentiente BOCHIO l. c. §. 16. cum aliis ab eo adductis, ita tamen ut pertinentiae, v. g. culina, stabulum, cella vel aliae aediculae ad viatum principis parandum aptatae, *Oeconomiegebäude*, quamvis extra palati muros positae, nec non horti, quoniam sine dubio singulae partes habitationis sunt, non exclusae censeantur, MOSER l. c. §. 2. ESTOR teutsch. R. Gelahrh. T. III. Lib. II. cap. 1. §. 10+7.

Porro

Porro quaesitum, an laudatum priuilegium id secum ferat, ut nemini in domicilium Principum armato intrare liceat? Etenim cum in Constitutione Friderici de pace tenenda ciusque violatoribus *II. F. cap. 27. §. 5. verbis finalibus* milites adeo prohibeantur ad palatium Comitis arma ferre, nisi rogati, exinde quidam concludunt, nec ad Principum palatia ullum armatum peruenire posse. At vero, primum ista constitutio, in qua nihil de pace burgenzi, huc plane applicari nequit, deinde ratio, ob quam ista interdictio pro istis temporibus pacis publicae tenetiae causa necessaria erat, hodie ob legem notissimam pacis publicae causa latam aperte cessat; denique crimen violatae pacis burgensis consistit non in armis intra Principis habitationem gerendis verum in laesione aliorum sive per arma sive absque illis; ut fileamus in plerisque aulis vel expresso vel tacito consensu Principis permisum esse, ut quibus alias armorum usus vel officii vel honoris causa est, ipsis ea in palatio quoque gestare liceat; cf. APPOLD *l. c.* §. 6. et STRYCK *d. l. c. 3. §. 60.*

Haec res nos dicit ad aliam quaestionem duplensem, vtramque varie agitatam, nempe, primo vtrum vel solummodo gladius strictus erga alterum, vel solae leuata manu minae, non secuta nec vulnerando nec pulsando laesione, deinde num sola prouocatio ad certamen singulare, hoc postea intermissio, crimen violatae huius gene-

ris securitatis efficiat? Ad utramque interpres affirmando respondere solent, nempe laudatus MYLERVS *l. c. §. 9.* BOCHIVS *l. c. §. 29 et 30.* FRITSCHIVS *d. l. cap. 12. n. 4. sq.* STRYCKIVS *d. l. §. 33. sq.* VITRIARIVS *Inst. iur. publ. L. III. t. 17. §. 76.* BE SOLDVS *thes. prax. contin. voc. Burgfriede* MOSER *d. l. MYLERVS d. l. §. 6.* APPOLDVS *l. c. cap. 4. §. 2. et 8.* qui posterior tamen §. 7. confinia excipit. Est vero haec affirmativa sententia omnino probanda, cum natura criminis non magnitudine laesione sed ipsa laesione, quae ut supra vidimus etiam iniuriis verbalibus fieri potest, atque praesumto principis contemtu, denegataque palatio securitate comprehendatur, qua is etiam caret, qui ab altero vel armato vel inermi minis petitur; id quod etiam Ordini nostro placuit in sententia mox afferenda. De qua te eo minor dubitatio reliqua esse poterit, cum in omni alio loco, *si quis pulsatus quidem non est, verum manus aduersus eum levatae et suede territus est, eum, qui quasi percussurus, non tamen percussit, utili iniuriarum actione teneatur,* ut ait VLPIANVS *l. 15. D. de iniur.* Simili ratione Legislator Saxon in Mandato *d. 12. Iul. 1712.* aduersus certamina singularia propriamque vindictam edito, §. 6. ad hoc delictum et id refert, si quis aut gladium in alterum stringat, aut subleuata manu alioque modo ipsi minetur.

Denique ad poenas veniamus huic criminis constitutas. Etsi autem iam supra annotauimus, nullam certam iure

iure communi praeceptis legibusue Imperii definitam esse, nisi fortassis in quarundam prouinciarum legibus singularibus, tamen fere omnes interpretes, quando in genere de ea re loquuntur, in eo consentiunt, ut quidem capitali coerceri possit, at manus amputatione plerumque puniri soleat. Haec est sententia auctorum saepius allegatorum STRYCKII, FRITSCHII, VITRIARII, BOCHII, MYLERI et HERINGII *ll. cc.* ac praeter hos *ill. KOCHII Inst. I. crim. sect. 2. §. 610.* quorum plerique capitalem poenam inde deducunt, quia ex VLPIANI sententia *I. 9. §. 3. D. de rer. div.* etiam ii capite plecti possent, qui in loco quoconque sancto aliquid committant; quae tamen lex Romana quam perperam hic applicari possit, ex supra dictis appareret. Quod autem in hoc crimine puniendo potissimum manus amputationis ratio habita est, id inde nobis ortum traxisse videtur, quod vti c. *I. CRELLIVS diff. de iure manuum* §. 47. ostendit, media aetate, ante pacem publicam promulgatam multi ad dissipationes pro parte sopiaendas, atque ad pacem et securitatem saltem in tempus comparandam ita dictas treugas inter se constituerent, in quarum violationem, et contra eas offensionem plerumque manus amputatio sancita est, in primis a Friderico II. et legibus Longobardorum. Pari modo Imperator Fridericus ei manum amputandam censuit, *qui contra pacis edictum alium vulneraverit, II. F. 27.* Hinc igitur sine dubio factum est, vt

C 3

quando

quando olim principes burgis ac palatiis suis, signa burgi-  
 fridae affigerent, (quamvis hoc, vt supra vidimus, praes-  
 ter necessitatem susciperetur, VITRIAR. d. l. §. 76. nec opus  
 erat APPOLDO d. l. c. 2. §. 3. 6. 7. vt hoc ipsum affigendi  
 ius ex potestate suprema territorii deduceret), solerent in ta-  
 bulis amputationem manus pingere, MOSER l. c. quo significa-  
 retur, sic coercendum esse eum, qui hanc securitatem sit vio-  
 laturus, APPOLDI l. c. cap. 1. §. 5. Non autem dubium est,  
 burgorum possessoribus licuisse, hanc poenam sancire,  
 quoniam, vt vidimus, superioritate territoriali, adeoque  
 et legum ferendarum potestate gaudebant. Neque ullus forte  
 erit, qui hanc poenam nimis acerbam putet, si cogitet,  
 suisse, referente saepe laudato APPOLDO l. c. cap. 4. §. 13.  
 nonnunquam aliquos Principes, qui vel adeo arborum  
 vel ferarum, sibi ad delectationem inseruientium laefio-  
 nem eadem manus amputatione prohibendam censerent,  
 quale exemplum et nunc Merseburgi ratione phasanorum  
 conspicitur. Hinc igitur euenit, vt hodie manus ampu-  
 tatio pro communi huius criminis poena habeatur, in  
 quam rem olim iudicatum esse, a Scabinis Lipsiensibus  
 reperimus apud CARPOZIVM pr. crim. P. I. qu. 40. no. 33.  
 Quo vero ritu in primis in Curia Anglicana eiusmodi ma-  
 nus amputatio fieri soleat, omnibus fere palatii ministris  
 solenniter operam nauantibus, late prosequitur DOEPLERVS  
 theatr. poen. c. 1. no. CXXXI. Quod ad ultimum suppli-  
 cium

cium attinet; et si non dubitamus, et eo interdum in dictos violatores animaduerti posse, si ex facti conditio ne adeo per magnos principis contemtus concussa eius ipsius securitas ac quies eluceat, ut in crimen maiestatis degeneret, qualia exempla occurunt apud APPOLDVM l. c. cap. 4. §. 4. tamen, poenam capitalem inter ipsas laesa burgfridae poenas hodie numerare, vix a nobis impetrare possumus, in quo consentientem habemus BOCHIVM l. c. §. 22. cf. STRYCK l. c. n. 10.

Quod autem supra dicebamus, in quibusdam provinciis singulares aliquas leges inueniri, quibus amputandae manus poena in hoc delictum diserte constituta sit, id ad duo tantum exempla restringendum est, unum ex Statutis Scotiae, quibus praecipi dicitur, ut qui in curia regia cultellum aduersus alterum traxerit, eius per medium manum illum fodiendum esse, si sanguinem extraherit, eam ipsam abscondi debere, STRYCK l. c. n. 18. alterum in lege Electorali Saxonica, a. 1712. aduersus certamina singularia atque propriam vindictam lata §. 9. verbis: *Wenn der burgfriese gebrochen und violiret, hierüber noch die rechte hand abgehauen werden; vbi notandum, quod quamvis ibi legislator sequentia loca: Unsre residenzhäuser althier und sonst, die von unsrer veteren Lbd. bewohnte Schlößer, oder wo wirkliche Hoflager gehalten werden, ingleichen die Kanzleien und andre häuser, wo unsre und unsrer veteren Lbd. rathscollégia ihre*

sessio-

*seffiones haben und übrige ordentliche expeditiones tradiret werden,  
nicht weniger die kirchen, derer universtitäten auditoria, ams-lan-  
und rathhäuser, auch andre gerichtsstellen inter priuilegiata nu-  
meret, in quibus si quis alterum iniuriis realibus affi-  
ciat, aliquanto acerbius puniretur, tamen exinde non se-  
qui, per offensiones in his singulis locis factas, crimen  
fractae burgfridae committi; quippe cui verbis mox se-  
quentibus vt vidimus peculiaris poena definitur.*

At haec quomodocunque sint, in hac lenitate tem-  
porum nostrorum, quibus in primis in puniendis reis ab  
omni corporum mutilatione abstinere solemus, PVIT-  
MANN elem. I. Cr. L. I. c. 2. §. 71. QVISTORP Peinl. R. seß. 3.  
§. 77. not. d. STRYBEN rechtl. Bed. P. IV. n. 78. vix credi-  
bile est, manus amputationem decretum iri, potius,  
quemadmodum in genere huius criminis poena arbitria  
esse dicitur, STRYCK l. c. n. 12. QVISTORP Peinl. R. seß. V.  
§. 190. ita vt etiam aliquando usque ad pecuniarium de-  
scendi possit, HERING l. c. no. 723. atque interdum apud  
CARPOZIVM l. c. no. 35. relegatio temporaria secuta fuerit,  
ita hodierno tempore haud dubitamus, dicasteria casu eue-  
niente pro re nata et vel magnitudine vel paruitate crimi-  
nis aut multam aut carcerem, aut forte etiam ergastulum  
dictatura esse. Ita nuper admodum Ordo noster trium  
mensium carcere eum coercuit, qui in burgo Principis  
nostris

nostri aduersus alterum gladium quasi minans strinxerat,  
etsi hand euaginauerat, vti ex sequenti sententia patet.

Daß I. M. H. wegen des gerügten degenzuckens mit 3. monatlichen  
gefängniſſe zu belegen, sowohl zu abſtattung der aufgelaufenen unkosten  
anzuhalten, v. r. w. additis rationibus: O. w. das I. F. I. beyge-  
meſſene in der churfürſtl. residenz gegen I. M. H. erfolgte degenzucken  
für eine art eines burgfriedensbruchs nicht unbillig zu halten, worauf  
in dem untern 2. iul. 1712. ins land ergangenen duellmandate §. 9.  
die abhaſung der hand, ſo wie in dem 6ten §. nurgedachten geſetzes  
ſchon allein auf das degenzucken einjähriges geſängniß geſetzet  
iſt. — — D. a. u. d. — — im übrigen, wenn ſchon all-  
hier der burgfriede allerdingſ verletzet worden, gleichwohl daffelbe  
nicht auf eine grobe und eclatante weife geſchehen, vielmehr es blos  
und allein bey dem degenzucken geblieben, ſelbiger auch nicht ein-  
mal heraus gezogen worden, weniger einige namentliche bedro-  
hunguen, H. damit zu verletzen, gefallen, ſondern I. abſicht nur allein  
aus der that ſelbst und aus denen worten: wenn er nicht geht, zu-  
ſchlüſſen, inzwischen das unternehmen gleichwohl dergestalt be-  
ſchaffen, daß es eine empfindliche ahndung verdienet; womit er  
um fo mehr zu belegen, jeweniger derselbe wegen des wider ihm ſich  
hervorhuenden ſtarken verdachts zu einem reinigungseyde zu lieſſen,  
allermaaſen der fol. 16. seq. und 56. seq. abgehörte und noch da-  
zu von I. zu ſeiner eigenen defenſion mit angegebener zeuge, daß

D

ſelbi-

selbiger unter denen zu H. gesprochenen worten: wenn er nicht gehet! nach den degen gegriffen, und solchen in etwas und fast 2. hände breit vorgerücket habe, vermittelst eydes wiederholt verfichert; nicht zu gedenken, daß I. selbst, wasmaßen er an den degen gegriffen, nicht in abrede stellen kann.

Qua occasione etiam de hoc vltimo loco adhuc interrogari possit, vtrum, si aliquod flagitium aliis plane generis et grauiore simul poena sancitum, vt incendium, veneficium aut certainam singulare, item furtum, adulterium, et sic porro in palatio principis committatur, num etiam istorum delictorum poena ex loco palatii aggrauanda sit? id quod putant STRYCKIVS *l. c. cap. 4. no. 24.* BERLICHIVS *P. V. concl. 43. no. 49.* et IVL. CLARVS *L. V. sent.* §. furtum, no. 8. et recte quidem ex nostra sententia, ne scilicet laesa insimul Principis auctoritas et reuerentia impunita maneat, in quam STRYCKIVS *d. l. §. 27.* duo Electoris Brandenburgici seuera edicta, APPOLDVS vero *l. c. cap. 1.* §. 9. duo exempla refert, vbi bis furtum haud magnum in residentia principis perpetratum, vltimo supplicio punitum reperitur.

Relinquamus hunc locum, vt satisfacere possimus expectationi Viri Generosissimi HERRMANNI CAROLI DE VFFEL quemad-

quemadmodum is nostrae satisfecit. Enarremus eius vitam, hucusque laudabiliter peractam, aut potius permittamus, vt ipse eam enarret, in primis cum inde simul haud parua laus pietatis et gratitudinis eluceat. Ita autem dicit:

Natus sum d. 24. M. Martii 1768. Zizae Saxonum, patre CAROLO AVGUSTO, qui tunc temporis munere Praesidis Curiae Provincialis, quae ibidem floret, fungebatur, et matre ex gente DE HOPFGARTEN orta, quae adhuc inter splendidissimas et celeberrimas familias Saxoniae numeratur. Patris exemplum, qui non solum ob praecipuam industriam ac soleritiam, quam iam finito cursu suo Academico Ienensi ex Dissertatione de Successione mobiliari personarum illustrium, quam ibi sine Praefide defendit, satis et aperte demonstrauerat, sed ante omnia ob singularem eius probitatem et virtutem, quam magis enucleare modestia me prohibet, Patris Patriae praecipuam gratiam sibi acquisiuit, me a teneris vnguiculis et per totam adhuc vitam edocuit, quae ad virum bonum et probum pertineant. In Schola deinde Electorali Portensi speciali Clarissimi HILDEBRANDI curae demandatus, cuius memoriam, si vñquam deponere vellem, certo maxime ingratus essem, nam tot tantaque sunt eius de me merita, vt numero determinari nullo modo possint, et Rectore

GEISLERO, V. C., qui huic scholae non paruum addidit splendorem, per biennium fere tanquam alumnus extraneus occasionem habui hoc patriae praeclaro beneficio frui. Postea in Academia Ienensi Rectore Grunero, V. P. I. anno 1785. in numerum ciuium receptus per biennium vsus sum preelectionibus REICHARDTII, SCHMIDTII, EICHMANNI et EMMINGHAUSII de iure ciuili Romano, SCHNAUBERTI de iure feudali, Canonico, et privato principum, VLICHII de philosophicis, HEINRICHII de historia imperii, et notitia statuum, et MÜLLERI de arte diplomatica et Heraldica. Ante omnia autem ex amicabili consuetudine, qua Viri Clarissimi EICHMANNVS, HEINRICHIVS, et MÜLLERV斯 me adornarunt, tam maximam voluptatem, quam summum usum cepi, ita, ut eorum memoriam nec temporis diuturnitas, nec ullum fatum ex mente mea delere poterit. Denique anno 1787. Summe Reuerendus Bauerus me numero ciuium academie Lipsiensis adscripsit, vbi valde delectatus sum preelectionibus KINDEII et SCHOTTII de iure Savonico, criminali, et modo procedendi, SAMMETII de iure Germanico, BIENERI de iure Rono, et SIEGMANNI de iure publico. Nec defuerunt in addiscenda praxi Viri Perillustris, et excellentissimus, quum occasio data esset ex fontibus Viri Generosissimi DE WINCKLER AC EINERTI haurire, quot quantaque sint horum Virorum merita de addiscen-

da

da arte relatoria nemo, qui paullulum solum in iurisprudentia profecit, ignorabit; et, si verbis ea, quae animo sentio, exprimere possem, ex parte minime ea, quae iis debeo, hic exsoluerem. Nam eorum operaे per totam reliquam vitam omnia debo, quin ars relatoria aditum ad praecipua munera et summos honores aperire soleat; et nihil maxime vereor, quam quod semper occasio deerit, iis, vti vellem ac deberem, animum gratum et deditum demonstrandi.

Hunc itaque Virum Generofissimum HERRMANNVM CAROLVM DE VEFEL supra commemorauimus nostrae expectationi satisfecisse. Scilicet cum nuper ab Ordine nostro petret, vt sub finem studiorum academicorum ad Examen Solenne Nobilium admitteretur, quo solemus, instituta cum generofissimis commilitoribus diligenti percontatione, quid profecerint in academia, inuestigare, expectabamus ab eo responsionem ad quaestiones ipsi propositas celerem, adaequatam, et eruditam, in quibus singulis Nostrae nostrae expectationi abunde satisfecit, ita, vt cum cognosceremus, eum diligenti praeceptoribus ac litteris nauata opera, ex omni iurisprudentia copiam sibi comparasse, ipsum communis suffragio: omnino ac prae ceteris dignum ad capessenda in republica munera videri: exornare non dubitaremus.

Gratu-


Gratulamur ipsi ac optimis parentibus hunc felicem vitae  
academicae exitum; qui vt in eius laudes, aliorumque  
imitationem publice innotescat, eum hac etiam tabula,  
appenso Facultatis sigillo, celebrare decreuimus. Dab.  
dom. Misericordias Domini a. CCCCCLXXXVIII.

## LIPSIAE

EX OFFICINA SAALBACHIA.







VD 18





**Farbkarte #13**



**B.I.G.**

1789,7.  
ORDINARIUS  
SENIOR CETERIQVE ASSESSORES  
FACULTATIS IVRIDICAE  
LIPSIENSIS  
LAVDABILITER SVPERATVM EXAMEN  
VIRI GENEROSISSIMI

HERRMANNI CAROLI AB VFFELL

PUBLICE TESTANTVR

---

IN EST  
COROLLARIUM IVRIS CRIMINALIS  
VICESIMVM QVINTVM.